

DE LONGINO PLATONICO

De scientia et eloquentia Cassii Longini tanta erat existimatio aequalium, ut eum Eunapius «vivam bibliothecam et museum ambulans» nominaret. Plotinus autem philosophus Longino iniuria obtrecebat, quem hoc loco ab illa obtreceatione vindicaturi sumus. Longinus vel idcirco memoria dignus est, quod ex libro X 3, 1 «Praeparationis Evangelicae» Eusebii magnum fragmentum operis Longini recuperare possumus, quod inscribitur «philologi homilii».

Pauca quidem exstant de Longini vita. Anno circiter 213 p. Chr. n. ortus est; nam minor natus est Plotino, qui anno 205 genitus est, quem Longinus postea Romae breve tempus audivit. Videtur Emesa, quod hodie *Homs* vocatur oppidum Syriae, patria Longini fuisse, ubi Fronto quidam rhetor consanguineus, frater matris Longini, artem dicendi tradebat. Sed iam puer cum parentibus multas terras urbesque peragravit; philosophiae incumbens Alexandriae Ammonium Saccam, conditorem Neoplatonismi, adibat. Adlescens Athenas venit, qua in urbe artem deinceps criticam et philosophiam Platonicam suo modo usque ad annum 263 docuit. Posthac Palmyram ad reginam Zenobiam Syriacam profectus Longinus ab epistulis Graecis erat rebusque politicis fungebatur. Aurelianus autem imperator Romanus expeditionem contra Zenobiam rebellem molitus, regina victa, Longinum anno 273 occidi iussit.

Longinus erat princeps artis criticae antiquis temporibus, summo iudicio ornatus, opera veterum auctorum rationibus litterariis ponderabat; et qui *Φιλάρχαιος* inscribitur, liber Longinum amatorem generis dicendi antiqui attici, non asiani ostendit. Plurimos libros legerat, immani erat memoria; orator palmaris, professor philologiae gloriosus, philosophus Platonicus veteris, non novae Academiae assecla nescio an fuerit; neque religioni strenue deditus, at